

Epithalamia Carmina,  
Celebritati atq; Felicitati Nuptiarum,  
<sup>quas</sup>  
*Præstantissimus, Doctissimus, Consultis-*  
*simusq; Vir,*

**DN. JOACHIMUS Rampusch /**

**U. J. Candid.**

atq; in Includâ Vratislaviensium Curiâ Ad-  
vocatus Ordinarius Juratus;

*secundum Sponsus;*

*Cum Nobiliss. Lectissimâq; Virgine,*

**EVA SUSANNA,**

*Nobiliss. Strenui, & Amplissimi Viri,*

**DN. SIGISMUNDI Schilling /**

*ab Hartlieb /*

Senatoris quondam Vratisl. Reipub. inter pri-  
marios præclarè meriti, relicta Filiâ,

*Florentissimâ Sponsâ,*

a, d. Prid, Non, Decemb. An. Chr. clō Ioc XLVI.

adornabat;

*ab Amicorum,*

*ut Fons & Origo Conjugii, DEUS Opt. Max.*

*Honoratissimis Conjugibus*

*omnia optata adferat,*

*sedulo precantium,*

*benevolentia officioq;*

*sconsecrata.*

---

Ibidem exscripsit GEORGIUS BAUMANNUS,



SUSANN-EVA.

*anagr.*

SANA VENUS.




uid tibi, qui doctus bene jura, clienti-  
 bus æquam  
 Patronus cupidis sedulus addis  
 opem:  
 Quid tibi cum cæco, JOACHIME, Cupidine? turpi  
 Quid turpis Pueri cum Genitrice, rei?  
 Nominibus, non Numinibus, gentilibus ignes  
 Debeat, incendit quem furiosus amor.  
 TE SCHILLINGIADEMQUE TUAM prudentior urit,  
 Ipsique indubiè flamma probata DEO.  
 Abramides quali flagravat amore Rebecca;  
 Tobiamque arsit Sara pudica suum:  
 Tales importat thalamo SCHILLINGIAS ignes,  
 Gentisque & Mentis clara Virago bonis.  
 Quis iudex non, cui candoris & artis abundè est,  
 Hocvè parivè modo tam pia cœpta probet?  
 Mutuiter thalamo videatur vestra pudico  
 Urere corda Venus, dum modò SANA VENUS.

Quis

Quis non, cui sanctæ fidei & pietatis abundè est,  
 Concipiat calidas ore favente preces?  
 NUMINIS ÆTERNI faxit CLEMENTIA, longo  
 Vos hilarans urat tempore SANA VENUS.  
 Corporibus sanis, & sanis mentibus IDEM  
 Adjungat sani pignora sana tori.

L. m. q̄. facieb.


M. ELIAS MAJOR P. L. C.  
 Gymnasii Vratislaviensis Elisabetani  
 Rector & Profesor, cæterarumque  
 ibidem Scholarum Inspector.



Clara Dices soboles, Suadæque medulla potentis,  
 RAMPUSCHI, viduo jam satiate thoro,  
 Dum tibi fama puellarum SCHILLINGIA princeps,  
 Dotibus ingenii corporis atque placet:  
 Quàm benè iudicio prudens nunc uteris alto,  
 Et te demonstras mente valere catà.  
 Quippe Senatorum non ultima gloria Patrum  
 Contigit huic nurus non sine laude Patrum.  
 Et Patruum exornant illam; quos fama volucris  
 Portat ad Eoas occiduasque plagas.  
 Ex hoc conjugio nascantur ut ordine tales,  
 Qui Patri similes sint, Patruisque precor.

L. M. Q.

CHRISTOPHORUS COLERUS.



*In*  
Jocundissimum SUSANNÆ, SPONSÆ  
Nomen,

*Ad Virum CL. & Consultis.*

DN. JOACHIMUM RAMPUSCH,

U. J. C. & Collegam suum omni  
officio & cultu prosequendum.

Car Gnydium Collega legis Clarissime florem  
Sub primo Brumæ tempore? Flosne Sacer?  
An quod in hoc signo, Tuus hic Flos, EVA SUSANNA  
Svaviloquas posthæc sit paritura ROSAS.  
Evax! sic voveo; Cœptis DEUS annue Votis!  
Per plures Hyemes multiplicare ROSAS.

*Gratulabundus scribit.*

JOANNES HENRICUS CUNRADUS.

**T**andem secuba solitudo lecti,  
Sponse, exosa tibi est, fovetq; Nympha  
Te Schillingia copula tenaci,  
O fotum calidumq; callidumq;!  
Horis hisce Decembribus cavebis  
Brumæ frigus iners toro receptus  
Sperata socio, sinuq; molli.

O fotum calidumq; callidumq;!  
Nam prudenter amas, novamq; certe  
Ducis tempore congruo maritam,  
Quæ florentula, quæq; succiplena est:  
Ducis patritiâ domo creatam,

Claram

Claram stemmate, moribusq; claram.

O cautum nimium, catumq; factum  
Nec castum minus! Auribus maritam  
Promtis, non oculo procante, ducis,  
Immò corde magis precante ducis.

Ergo, quod bene sit tibi tuisq;  
Suscita cineres tori prioris,  
Applaudente tibi choro bonorum.  
Sint secunda tibi secunda vota,  
Parcant fata tibi, tuæq; Nuptæ,  
Reddat staminibus benigna Clotho,  
Quod sicâ rapuit malâ Marita  
Defunctæ, ut placideq; prospereq;  
Tecum Nestoris exigat senectam.

Hæc vovet

M. JOHANNES FECHNERUS.

**Q**uas aliis, alii Tibi, lites, Sponse, movebant;  
Has pactum, has Judex, aut tulit una dies.  
Ast quam Sponsa Tibi, Tu Sponsæ, Sponse, movebis  
Nec Judex, pactum, & vix feret ulla dies;  
Est ea lis: certet quâ par per amabile semper:  
Ecquis amet, Sponsam Sponsus, an ille magis?

Fautori & Collegæ honoratis.  
scribb.

ANDREAS ASSIEG.

A 3

Ergone


**E**rgone, post viduæ mera tot fastidia vitæ,  
Tandem ad secundas progredi paras tedas;  
*O Juris præsigne decus, Themidosq; Sacerdos?*  
Sic scilicet, bonum quod esto felixq;  
Astræ Mystam, qui Tecum fidere fausto  
Hanc, impias dum liquerant prius terras,  
Inter Cœlicolas postremam, sæpe reducit,  
Dantem faces sedet sequi FRIDENRICUM.  
Usq; aded gens illa, cui nihil esse negatum.  
Ferunt, severitatis illa prædatrix,  
Quæ blandis oculis, lepido ore, graduq; venusto  
Armata, menti semper incubat nostræ,  
Triste supercillii demit chaos, atq; dolores  
Inominatos mittit in dierectum.  
Et meritò mittit, Quis enim queat esse ferendis,  
Uxoriis, si perpetes forent, curis?  
Sic Anchisiades irerumq; iterumq; Creusam  
Gemens, sed improbo labore, clamavit;  
Et tamen hic partis indulgit Amoribus idem,  
Quà pingue lambit Lydius solum Tybris.  
Sic lacrimas meritò, *Vir Clare*, repellis *Amata*,  
*Amanda* dum prioris occupat sedem.  
Quæ Budorgiacas inter, ceu Cynthia, Nymphas,  
Facietiarum myrothecium, fulget.  
Ista columbatim teneris premar usq; labellis  
Vel ambiendum Gratiis tribus vultum.  
Sive fatigatis sedeas per pulpita libris,  
Seu commees subselliis domum fractis,

Et

Et svavi maectet pariter Te Prole Parentem,  
Qualem è Priore nostra Gymnas educit;  
Ingenuam vultu, promptam facilemq; doceri  
Mente, obsequentem moribus, probam vitâ.  
Sicq; Pater Pylium, Cumæum Mater in ævum,  
Tu, Sponse, *Cajus*, illa *Caja*, vivatis!

*Ita Viro Consultis. ad secunda Vota trans-*  
*eunti vovet animitus*

JOHANNES GEBHARDUS  
*Gymnas. Elisab. Vrat. Collega.*



**A**stræa soboles, justis RAMPUSCHIUS oris,  
Spes aliàs trepidi Præsidiumq; Rei;  
Nullum jam solitis meditatatur vincere causis,  
Nullâ relictum querere luce forum.  
Officii quæ sit neglecti causa requiris?  
Ecce tibi talem Musula nostra dabit:  
Consortem vidui dum vult sibi querere lecti,  
Nullius impatiens conjugis esse caput,  
Obvius it pulcræ Rampuschius ille puellæ,  
Intima mox flagrans pectoris ignis habet.  
Hanc amat, hanc sequitur, lætaturq; usq; videre,  
Fax scandat cælum publica, si ve cadat.  
Nil facit ex illo, in vultus mens omnis aberrat,  
Quos illi in medio pectore fixit Amor.  
Fortè gravi interius Veneris dum carpitur igne,  
Cogitur in tales pandere labra sonos:  
O tibi si placeat, mea lux, mea vita, decusq;  
Ingredier thalamos, *Eva Susanna*, meos.

Ab quoties,

Ah quoties, quoties illud mihi dulcius esset,  
 Quam causas causis vincere mille meis!  
 Optasti benè, Rampuschi, non vota moratur,  
 Sed venit in thalamos dicta puella tuos.  
 Si genus inquiras, non vili sanguine nata est,  
 Schillingus genitor, Puschia mater erat.  
 Schillingus Breslâ præclarus in Urbe Senator,  
 Insignis patrii lausq; decusq; fori.  
 Puschia sacrarum Virtutum sedula cultrix,  
 Illa etiam clarâ Nobilitate micans.  
 Si formam spectes, nihil emendatius illâ  
 Finget Apellæus Parrhasiusq; labor.  
 Qualis Nocturno devincit sidera celo  
 Cynthia, cum præbet lumina plena solo:  
 Talis Exsuperat reliquas ea Nympha puellas,  
 Quam stabili jungunt fœdere Fata tibi.  
 Macte tuis, ô Sponse, bonis, Sponsamq; novellam  
 Dum te, dumq; illam vita forebeat, ama.  
 Cumq; illâ longos ducas feliciter annos,  
 Detq; Deus thalamis commoda mille tuis

Hæc Consultis. Doctissimoq; Dn. Spon-  
 so canere, honor & amor, quem ei  
 debet, coëgit

CHRISTOPHORUM BLÜMELIUM  
 Bulco-Lucanum Silesium Gymn.  
 Vratisl. Elis. Alumnus.

